



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

115. An contractus onerosi celebrati ex metu graui sint validi iure naturali,
& quid de iure ciuili, exceptis matrimonio, ludo, & alienatione rerum
Ecclesiasticarum? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

quendo rationes à priori, probatur hæc opinio à posteriori; nam fere innumeri Doctores admittunt, eum qui iniuste aliquid extorquet per vim, & metum à dominante, teneri in foro conscientie ad restitutionem. Ita Conarrubias, Adriani, Syluester, Nauarrus, ipsè Sanchez, & Lessius apud Basilium, *vbi supra n. 6.* Ergo neque transferatur dominium, neque valet contractus; nam si iure naturali valeret, non esset obligatio restituendi ante sententiam, vel postulationem rescissionis, & transferretur dominium, solumque esset actio in personam, non in bonam; que omnia sunt absurda Ergo, &c. Ex his sequitur, ait Pontius n. 8. Lessium parum sibi constare, cum docuit ex vna parte donationes metu extortas iure naturali valere, & tamen postea n. 44. docet eum qui ex huiusmodi contractu aliquid est affequutus, teneri ad restituendum, & eum qui vim passus est, posse occultè surripere, si alia via, quod donauit, recuperare non possit. Hæc quidem manifestè sibi repugnant: nam si valent naturali iure; ergo etiam iure civili valent, vt Lessius fatetur, donec rescindantur. Ergo non est locus occultæ compensationi; neque restitutionis obligationi, donec per sententiam rescissio fiat, aut postulet is, qui vim passus est.

3. Neque est simile in eo qui furatur, & retinet, est enim in illo, seclusa quavis lege, obligatio restituendi, ratione iniuste acceptionis. At hic iure naturali non est obligatio restituendi ex istius Doctoris sententia, cum valeat donatio; existimat enim iste Author, sufficientè titulum esse liberalem donationem, etiam cum coactione, & cum illa exerceri liberalitatem posse. Quare illa duo consistere simul non possunt contractum valere naturali iure, & illum ante sententiam ad restitutionem teneri, & coactum posse occultè surripere. Solumque eà doctrinà locum efficiunt positio, iuxta aliquorum sententiam. Atque eodem modo reprehendendus est Sanchez, qui *lib. 4. diff. 8. n. 4.* docet valere naturali iure, & *diff. 9.* docet esse obligationem restituendi ante sententiam, quem in hac parte meritò reprehendit Rebellus *p. 2 lib. 1. q. 5. n. 15.* Quare quicumque hanc restitutionis obligationem ante sententiam cognoscunt, non possunt asserere dominium translatum, aut sibi non constant.

4. An verò supradicti contractus ex metu graui celebrati sint iuris positivi dispositione, ipso iure irriti, vel rescindendi; agit idem Pontius *loc. cit. ca. 8. per totam*, & contra Sanchez, & alios firmat huiusmodi contractus, & quidquid à liberalitate proficiscitur, non tantum iure naturali, sed etiam positio nullos esse. Itaque actus omnes, in quibus legitimus titulus est donatio, vel liberalitas, si ex graui metu iniuste illato fiant, etiam iure positio sunt irriti ipso iure, requiriturque iudicis auctoritas, non ad illos irritandos, sed vt à principio ita fuisse declarat.

5. Notandum verò pro Confessariis ex supradictis. Primò, promissiones latroni factas propter metum iniustum nullam inducere obligationem ratione iustitiæ. Secundò, quando puella propter metum iniuste illatum consentit, esse obligationem restituendi in eo qui stuprum intulit. Tertio, prorogationem, quamcumque iurisdictionis metu extortam, nullam esse iure natura, & positio. Quarto, idem dicendum de mandato ad aliquid agendum, si metu extorqueatur. Quintò, idem dicendum de dispensatione, & priuilegiis metu extortis, quoad vel tacite, vel expresse non confirmantur, nulla enim sunt ipso iure, quod intellige, quando verè fauores sunt, non verò si ob causam, & obsequia præstita compensationis gratia conceduntur; hæc enim in eo casu, non proficiscuntur ex liberalitate. Sextò, idem dicendum de renunciatione beneficij per metum factam, contra Rebellum, Lessium, & alios, quia renunciatio ex liberalitate debet oriri, & renunciatio magis sapit gratiam quam iniustitiam, vnde non potest ad eius titulum ordinari, qui ex ea ratione beneficium accepit.

Septimò, idem dicendum, non tantum de absolutione ab excommunicatione per metum extorta, sed etiam de reuocatione censuræ ante diem, vel conditionem sub qua promulgata est, & de fideiussione, & institutione hæredis, vel legatis relicti, quando hæc metu extorquentur. Et hæc omnia Basilii Pontius *loc. cit.* sed an idem dicendum sit in contractibus onerosis, videbimus in sequenti Resolutione.

RESOL. CXV.

An contractus onerosi celebrati ex metu graui sint validi iure naturali, & quid de iure civili, exceptis matrimonio, ludo, & alienatione rerum Ecclesiasticarum? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Resol. 120. aliàs 119.

§. 1. Contractus onerosi dicuntur, in quibus datur res pro re, vt venditiones, promissiones reciproce de presenti, &c. & hos esse inuálidos, spectato iure natura, tradunt Rebellus *p. 2. lib. 1. q. 5. concl. 9. n. 15.* & alij penes ipsum.

2. Aliquibus tamen verius videtur eos contractus, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validos esse iure natura, etiam si fiant ex graui metu iniuste incusso. Et ita docet Basilii Pontius *de matrim. lib. 4. c. 7. n. 2.* qui citat Sotum, Richardum, Paludanum, Syluestrum, Nauarrum, Henriquez, Molinam, & Valquez. Imò Pontius in *c. 9. n. 2.* plus addit, hos contractus valere etiam in iure positio, dari tamen actionem metus causa, & limitat hanc sententiam tantum in contractibus ludi, & in alienatione rerum Ecclesiasticarum, que metu facta non valent. Itaque quoad forum conscientie ante iudicis sententiam, nulla adest obligatio restituendi in eo, qui taliter contrahendo vim intulit; quia hi contractus sunt validi in vtroque foro, donec alter petat rescissionem, & sic emptor qui metum fecit, potest licite rem retinere & fructus percepisse, donec venditor rescissionem postulet, & ita docent Pontius, & alij, *vbi supra*. Quæ sunt notanda ad tollendos scrupulos, & onus pro illo tempore restituendi. Differentiam verò, quare hi contractus onerosi validi sint iure naturali, & positio, non autem contractus lucratui, vt diximus in superiori Resolutione, inuenies satis firmatum apud Pontium *locis cit.*

RESOL. CXVI.

Vtrum prodigum ex contractu iuramento confirmato obligetur?

Sed difficultas est, an dictum iuramentum non solum obliget ex religione, sed etiam confirmet contractum aliis nullum, illum efficiendo validum, & consequenter dantem ius iustitiæ ad rem, vel in re?

Ex quo deducitur contractus non transire ad hæredes suorum bonorum, & quod dictum iuramentum possit à superiore relaxari. Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 21.

§. 1. Negatiuè respòdent aliqui, vt Fachinæus *lib. 2. contr. iur. cap. 64.* Bartolus Baldus, Angelus, Castrenf, Alex. Iason, Zafius, & Ripa in *l. is cui bonis 6. ff. de verb. oblig.* Probatur hæc opinio. Primò, quia vbi cumque contractus à lege prohibitus est, sibi nec accessio iuramenti cum confirmare potest, *l. non dubium 4. in fin. C. de legib. l. iuris gentium 7. §. & generaliter 16. versic. nec iusurandum. ff. de partit.* At prodigi contractum à lege prohibitum esse, ex supradictis constat. Secundò: Iuramentum tres comites habere oportet, iustitiam, veritatem, & iudicium, *c. & si Christus 26. extr. de iure iurand.* Atqui prodigo, cum furioso equiparetur, nemo iudicium facile tribuetit. *l. his qui 12. in fin. ff. de iuroribus, & iuroribus*

Sup. hoc infra in Ref. 118. §. pen. signanter à lin. 5. Sed lege tam per totam.

Quoad hoc in co. 8. tr. 4. lege doct. Ref. 55. & aliarum Ref. & §§. eius annot.